


EPISTULA LEONINA

CCLXXV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUINTAM (275)

ARGUMENTA

| | |
|--|-------|
| PRAEFATIUNCULA | 03-05 |
| CUI BONO?..... | 06 |
| ACROASIS INTERRETIALIS (ALF) d.29.m.Apr. a.2023 DE ORBE PICTO HEXAGLOTTO (Leo Latinus) | 07 |
| CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA..... | 07-10 |
| SYMBOLAE ORBIS PICTI HEXAGLOTTI..... | 11-24 |
| DE ARDEA AVE AQUATICA..... | 11-16 |
| DE LEONE..... | 17-24 |
| DE CHRESTOMATHIA PHILIPPI NEOLATINA..... | 25-30 |
| GALLUS..... | 25-27 |
| VILLA..... | 27-28 |
| PROCELLA..... | 28-29 |
| INUNDATIO..... | 29-30 |
| FABELLA GRIMMIANA POLLICARIUS FILIUS VESTIFICIS QUALE ITER FECERIT..... | 31-36 |
| DE LATINIS AMBULATIONIBUS AUGUSTANIS MYSTAGOGUS PULCHER LATINE LOQUITUR..... | 37-39 |
| DYSTOPIA ORWELLIANA (»Beyond The Reset«, a.2023) CINEMA ANIMATUM SPECTATU DIGNISSIMUM..... | 40-43 |
| HOSTES HUMANI GENERIS..... | 44-48 |
| ECHUS VOCES EPISTULAE..... Eduardus Moderator Gregis Toruniani (49-50) - Radulfus Argentinus Bonaeropolitanus (50-51) – Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (51-52) Maximilianus Pulcher Mystagogus Augustanus (52) – Gisela Hielscher (52- 53) | 49-53 |
| ECCE LIBRI LEONIS LATINI..... | 54-57 |

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,


*quomodo te habes? Rectêne vales? Utinam fruaris lectione Epistulae Leoninae novissimae i.e. ducentesimae septuagesimae quintae! — Liceat mihi annuntiare **acroasin interretialem** (systemate ZOOM diffundendam) Leonis propriam: : **Die 29. m.Apr., i.e. die Saturno, horâ quintâ postmeridianâ** loquar **DE ORBE PICTO HEXAGLOTTO**, i.e. de lexico picturato Latino eiusque Glossario, quod compono. Acroasis fiet sub aegide **Academiae Latinitati Fovendae (ALF)**, cui praesidet Christianus Laes Professor philologiae classicae Antverpiensis. Nicolaus (NicoDe Nico) secretarius Academiae sodales Academicos iam certiores fecit de signo speciali, quod computatro si inscripseris, poteris particeps fieri huius conferentiae sive reunionis interretialis. Hoc signum speciale invenies infra p. 6. Ergo d.29. h. quinta p.m. tu audias **acroasin suam DE ORBE PICTO HEXAGLOTTO** te invitat omni qua par est observantia **LEO LATINUS**. ---*

*Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorve, chronogrammata Tobiae Rössler artificiosissima (p.)! Duae symbolae Glossarii Orbis Picti Hexaglotti (p.11-24): de **ardea ave aquaticâ deque Leone** quem apologorum poetae appellant Regem Bestiarum. - Nuper invêni in abyssis interretialibus gazophylacium litteraturae neolatinum mirabile: Chrestomathiam Philippi; cuius florilegii auctorum Neolatininitatis prosaicorum invenies partem tertiam: tolle lege frueri (p.25-30)! - Quis est quin noverit Fabellas Iacobi atque Vilelmi Grimm? Pauci tamen easdem fabellas legerunt veste*

Latinâ donatas! (p.31-36) - Non possum quin tibi plurimum commendem, ut cognoscas *Mystagogum Pulchrum* (p.37-39)! Maximilianus enim Pulcher *Latinissimê* tecum loquens tibi monstrabit monumenta urbis suae patriae, quae est Augusta Vindelicum! - Cara Lectrix, Care Lector, Cape occasionem! - Cinema quoddam in interreti iam milionesies est spectatum: »*Beyond the Reset*«. Hac dystopiâ Orwellianâ, quâ horribiliter demonstratur, quid immineat, si programma globalistarum inhumanissimum, quod nobis commendat *daemon ille Davosiensis* in Oppido Corvorum natus, ad effectum erit adductum (p.44-48). TU NE CEDE MALIS, humanista, sed contra audentior ito! Utinam ne umquam vincant transhumanistae! Lege recensionem huius cinematatis (p.40-43). - Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus benignê oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...(p.49-53). ---

Nunc helleuare symbolis huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »*sublimi feriam sidera vertice*«. - Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticê valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae
Die Dominicâ, 23. m.Apr. a.MMXIII**



CUI BONO?



Quaestiuncula, q.e. **Cui bono?** valet i.q. *Quis lucrum, quis utilitatem capit ex hac re?* et spectat ad delictorem alicuius delicti sive auctorem sceleris inveniendum. Primo loco litterarum Latinarum nobis relictarum haec quaestiuncula ponitur a M.T. **Cicerone**. Qui sic quaerit a.80 a.Chr.n. **in defensione suâ Sexti Roscii Amerini**, ut suspicionem homicidii facti convertat a reo, filio inopi viri interfecti, ad **Lucium Cornelium Chrysogonum**, asseclam Sullae, qui totam possessionem Roscii iniustê acquisivit (CIC., Pro Roscio Amerino, 84,86: *L. Cassius ille, quem populus Romanus verissimum et sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisset?*). In decursu orationis Cicero dicit methodum quaestiunculâ, q.e. *cui bono*, usufructuarium in suspicionem adducendi primo adhibitam esse a **Lucio Cassio Longino Ravillâ** consule anni 127 a.Chr.n. Praeter hunc locum Cicero quaestiunculâ Cassianâ bis usus est eandem introducens verbis q.s. **illud Cassianum**: A.52 a.Chr. frustra defendens **Titum Anniuum Milonem**, qui accusatus erat Publii Clodii Pulchri occisi (CIC.Pro Milone 4,10); a.44 a.Chr.n. in alterâ oratione Philippicâ in **Marcum Antonium** habendam (CIC.Philippica 2,14), quam voluerat in senatu habere, sed tantummodo potuit divulgare scriptam. Lucius Annaeus **Seneca minor** philosophus et poeta tragicus, **illud Cassianum** paululo mutatum affert in tragoediâ Medeae (v.500sq.): **Cui prodest scelus, is fecit**.

ACROASIS INTERRETIALIS (ALF) d.29.m.Apr. a.2023 **DE ORBE PICTO HEXAGLOTTO** (*Leo Latinus*)

Nico De Mico ti sta invitando a una riunione pianificata in Zoom.

Argomento: Nicolaus Gross: oratio menstrua

Ora: 29 apr 2023 05:00 PM Amsterdam, Berlino, Roma, Stoccolma, Vienna

Entra nella riunione in Zoom

<https://uniroma1.zoom.us/j/99905644695?pwd=WnZLdjl6N2tNU1dqLzJta1NMWjNLQT09>

ID riunione: 999 0564 4695

Passcode: 645009

Un tocco su dispositivo mobile

+17193594580,,99905644695# Stati Uniti

+19294362866,,99905644695# Stati Uniti (New York)

Componi in base alla tua posizione

+1 719 359 4580 Stati Uniti

+1 929 436 2866 Stati Uniti (New York)

+1 253 205 0468 Stati Uniti

+1 253 215 8782 Stati Uniti (Tacoma)

+1 301 715 8592 Stati Uniti (Washington DC)

+1 305 224 1968 Stati Uniti

+1 309 205 3325 Stati Uniti

+1 312 626 6799 Stati Uniti (Chicago)

+1 346 248 7799 Stati Uniti (Houston)

+1 360 209 5623 Stati Uniti

+1 386 347 5053 Stati Uniti

+1 507 473 4847 Stati Uniti

+1 564 217 2000 Stati Uniti

+1 646 931 3860 Stati Uniti

+1 669 444 9171 Stati Uniti

+1 669 900 6833 Stati Uniti (San Jose)

+1 689 278 1000 Stati Uniti

ID riunione: 999 0564 4695

Trova il tuo numero locale: <https://uniroma1.zoom.us/u/ac1hpOJ8to>

Entra tramite SIP

99905644695@zoomcrc.com

Entra tramite H.323

162.255.37.11 (Stati Uniti Occidentali)

162.255.36.11 (Stati Uniti Orientali)

115.114.131.7 (Mumbai - India)

115.114.115.7 (Hyderabad - India)

213.19.144.110 (Amsterdam Paesi Bassi)

213.244.140.110 (Germania)

103.122.166.55 (Australia Sydney)

103.122.167.55 (Australia Melbourne)

149.137.40.110 (Singapore)

64.211.144.160 (Brasile)

149.137.68.253 (Messico)

69.174.57.160 (Canada Toronto)

65.39.152.160 (Canada Vancouver)

207.226.132.110 (Giappone Tokyo)

149.137.24.110 (Giappone Osaka)

ID riunione: 999 0564 4695

Passcode: 645009

Entra tramite Skype for Business

<https://uniroma1.zoom.us/skype/99905644695>

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Octavio Paz

* 31. März 1914 in Mixcoac, heute Mexiko-Stadt

† 19. April 1998 in Mexiko-Stadt

Octavio Paz war ein mexikanischer Schriftsteller und Diplomat.

Er erhielt 1990 den Nobelpreis für Literatur.

OCTAVIVS PAZ
 LEGATVS SCRIPTOR
 ATQVE VATES INGENIOSVS
 PRAEMIIO NOBELIANO LAVREATVS
 VIGINTI QVINQVE ANNIS ANTE
 DE VITA CESSIT

MMXXIII

Der Diplomat, Schriftsteller
 und mit dem Nobelpreis ausgezeichnete
 geistreiche Dichter OCTAVIO PAZ
 starb vor 25 Jahren.

Als Neunzehnjähriger veröffentlichte Paz seinen ersten Lyrikband, *Luna Silvestre*. 1950 erschien mit *El laberinto de la soledad* (*Das Labyrinth der Einsamkeit*) seine erste und zugleich bekannteste Prosaveröffentlichung. Der Essayband verkaufte sich allein in Mexiko über eine Million Mal und zählt neben Juan Rulfos Roman *Pedro Páramo* bis heute zu den erfolgreichsten mexikanischen Publikationen. Es folgten 1956 *El arco y la lira* und 1974 *El mono gramático*. 1990 bekam Paz den Literaturnobelpreis allerdings nicht vorrangig für seine Essayistik verliehen, sondern für Lyrikbände wie *Piedra de Sol* (*Sonnenstein*, 1957), ein Werk, das hinsichtlich seiner Wirkung auf die lateinamerikanische Literatur mit der Wirkung von T. S. Eliots *The waste land* auf die englischsprachige Literatur verglichen wird, *Blanco* (*Weiß*) aus den 60er Jahren und *Pasado en claro* (*Von der Klade zur Klarheit*) aus den 70er Jahren. Diese drei genannten Werke sind unter dem Titel *Die großen Gedichte* auch auf Deutsch erschienen. Außerdem: *Libertad bajo palabra* (1960) und *Salamandra* (1962).

Quelle: Wikipedia

Anselm von Canterbury OSB

lateinisch Anselmus Cantuariensis

* um 1033 in Aosta;

† 21. April 1109 in Canterbury



ANSELMVS CANTVARIENSIS
SAGAX DOCTOR ECCLESIAE

* * *

SANCTVS ANSELMVS CANTVARIENSIS
ARCHIEPISCOPVS THEOLOGVS PATER SCHOLASTICAE
PHILOSOPHVS INCLYTVS

BONVS VIR

ORET PRO PAVPERIBVS ET INOPIBVS

MMXXIII

Anselm von Canterbury war ein Theologe, Erzbischof und Philosoph des Mittelalters. Er wurde heiliggesprochen, wird vielfach als Begründer der Scholastik („Vater der Scholastik“) angesehen und ist Hauptrepräsentant der Frühscholastik. Seit 1720 trägt er den Ehrentitel Kirchenlehrer.

Justus Liebig

(ab 1845 Justus Freiherr von Liebig)

* 12. Mai 1803 in Darmstadt

† 18. April 1873 in München



IVSTVS DE LIEBIG
EGREGIVS CHEMICVS TETONICVS
TRIGINTA LVSTRIS ANTE OBIT
AETATIS SVAE LXIX

MMXXIII

Vor 150 Jahren starb
der herausragende deutsche Chemiker
JUSTUS VON LIEBIG
im Alter von 69 Jahren.

Justus von Liebig war ein deutscher Chemiker und Universitätsprofessor in Gießen und München. Liebig erkannte, dass Pflanzen wichtige anorganische Nährstoffe in Form von Salzen aufnehmen, und begründete durch seine Forschung die moderne Mineraldüngung und den Beginn der Agrochemie. Er entwickelte ein Herstellungsverfahren für Rindfleisch-Extrakte sowie moderne Analyseverfahren. Gleichzeitig mit zwei anderen Forschern entdeckte er 1831 das Narkosemittel Chloroform.

Sein Hauptinteresse während seiner Gießener Zeit galt der Förderung der Landwirtschaft mit dem Ziel, die zum Teil verheerenden Hungersnöte der damaligen Zeit – er hatte 1816 im „Jahr ohne Sommer“ selbst eine erlebt – zu verhindern. Seine Erkenntnisse auf diesem Gebiet fasste er 1840 und 1842 in zwei Werken zusammen: *Die organische Chemie in ihrer Anwendung auf Agricultur und Physiologie*, kurz *Agriculturchemie* genannt, und *Die Thierchemie oder die organische Chemie in ihrer Anwendung auf Physiologie und Pathologie*. Diese beiden Bücher erregten ungeheures Aufsehen, nicht nur bei Wissenschaftlern, sondern bei allen Gebildeten seiner Zeit. Die *Agriculturchemie*, in der er die Mineraldüngung propagierte und ihre Bedeutung für Qualität und Ertrag der Pflanzen erklärte, erlebte neun Auflagen und wurde überdies in 34 Sprachen übersetzt.

Quelle: Wikipedia

**HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS RÖSSLER**

DE ARDEA AVE AQUATICA

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI



ardea, -ae f.

161

Reiher – heron – héron – garza – airone

TESTIMONIA. ThLL 02.,481,s.v. **ardea**, -ae f. ...SERV.Verg.georg. 1,364 ardea dicta quasi ardua. quae cum altius volaverit, significat tempestatem. ...*in prognosticis*: VERG.georg.1,363 notasque paludes deserit atque altam supra volat ardea nubem...LVCAN.5,553 ausa volare ardea sublimis pinnae confisa natanti. PLIN.nat.18,363 ardea in mediis harenis tristis *praesagit hiemem*. AVIEN.Arat.1717 procera salum repetit <c>langore frequenti ardea. EVCHER.instr.2 p.157,13 erodius in psalmo antea a quibusdam putatur. V.

ETYMON. ThLL 02.,481,46sq.: *cf. esse videtur c. gr. ἐρωδιός, ῥωδιός fortasse c. island. arta ,querquedula‘. Th.*

Ardeidae sunt familia ordinis *Pelecaniformium*. Haec familia complectitur 19 genera et 68 species. Pleraeque species sunr longis pedibus et rostro, quod est simile pugioni. Multae species praeterea sunt collo longo. Ardeae ferê omnes habitant in regionibus aquae dulcis, nutrimenta constant praecipuê ex piscibus aliisque bestiis aquatilibus et quaeruntur in aquâ vadosâ ripae propinqua. Quae inveniuntur ubique terrarum. - Omnes ardeae habent longum rostrum pugioni simile, caudam breve, alasque magnas et latas. Collum ardeae est in formam litterae S curvatum, quod fit vertebra colli sexta elongata. In ardeis volantibus perquam insigne est collum curvatum. Ardeinae sunt plerumque aves magnae perquam longo

collo longisque cruribus instructae; *Nycticoracinae* et *Botaurinae* sunt compactiores et collis multo brevioribus. Species omnium maxima, i.e.



Ardea goliath, assequitur longitudinem 140cm et aperturam alarem 230cm. Ardeae minimae inveniuntur in genere *Ixobrychorum*, quorum nonnulli assequuntur longitudinem corporis 27 tantum centimetrorum. Mares et feminae parum tantum inter se differunt magnitudine: mares sunt circiter 2-4% maiores quam feminae. Non est dimorphismus sexuum insignis exceptis *Ixobrychis*, quorum sexus pennas habent perquam varias. Ardeae iuveniles saepe habent pennas speciales, quae valde se differunt a pennis adultarum. Sunt et ardeae perquam versicolores et ardeae coloris parum conspicui, griseo-brunnei. Colores ardearum frequentissimi sunt niger, brunneus, caeruleus, griseus, albus. Saepe colores utiles sunt ad corpus occultandum. Coloribus suis optimè proteguntur *Botaurinae*, quae virgis suis nigro-brunneis in arundineto vix conspici possunt; sed etiam ardeae colore conspicuo instructae saepe habent latus ventrale lineis nigris albisque instructum, quod sub aqua difficile est cognitu. Multae species *Ardeinarum* et *Nycticoracinarum* insignes sunt pennis ornatricibus in capite, collo, pectore, et/aut dorso elongatis positis.

Eaedem sunt coloribus, qui maximè insignes fiunt inter petitionem nuptialem. Altera peculiaritas pennarum, qua sunt pennae ardearum, sunt *plumae pulveraceae*. Hae plumae per totam vitam crescentes denique dilabuntur in substantiam pulveri similem, quae adhibetur ad pennas purgandas. Ardeae plerumque tres regiones pennatas paraleas, nonnullae species duas vel quattuor. Praeterea ardeae instructae sunt *glandulâ uropygiali*, quae, si comparatur cum multis avibus aquatilibus, est valde parva est. Partes corporis ardearum non pennatae plerumque sunt flavae

aut nigrae aut brunneae. Quae sunt pedes et rostrum, sed etiam partes capitis oculis et rostro intersitae. Eaedem tempore prolis propagandae fiunt lucidiores atque nitidiores. E.g. *Ardea cinerea* solet habere rostrum flavo-brunneum, quod tempore prolis colendae colorem ducit arancio-flavum. **Notae.** Rostrum ardearum longum est et pugioni simile. Per exceptionem unicam *Cochlearius cochlearius* habet rostrum valdê latam et crassam. Crura longa desinunt in pedem anisodactylum.



Digitus pedis medius semper est longissimus, digitus posterior eidem directe adversus est. Digitus medius et digitus interior inter se coniuncti sunt membrana interdigitali, praeterea desunt membranae interdigitales. Crura apta sunt ad aquam altam pergrediendam. Nonnullae species sunt digitis valde elongatis, quibus possunt partibus plantarum natantibus se affigere. **Botaurinae** possunt in fruticetis et harundinetis erepere. - Alae habent decem undecimve (in *Cochleario cochleario* novem) remiges primarios et 15-20 remiges secundarios. Quibus pennis ardeae possunt volare ictibus alarum lentis et fortibus. **Nycticoracinae** et **Botaurinae** velocius alas commovent quam **Ardeinae**. Ardeae maximae pro minuta egent 100 pulsibus alarum, minimae 200. Collum ardeae volantis recurvatur, ut caput imponatur umeris. Unica exceptio est **Syrigma sibilatrix**, quae etiam volatu suo veloci et potius anatino se differt a ceteris. **Distributio et biotopus.** Ardeae inveniuntur in omnibus terris continentibus

praeter antarcticam. Nusquam desunt nisi in regionibus polaribus et nonnullis insulis oceanicis.

Nutritio. Paucis speciebus exceptis ardeae se nutriunt bestiis aquatilibus, praesertim piscibus, amphibiis, reptilibus, avibus aquaticis, mammalibus minoribus, insectis, molluscis et crustaceis. Ardea cinerea cottidie eget saltem 330 vel summum 500g. Ardea solet bestias praedandas eo obstupescere, quod immota stat in loco et deinde rarisissime rostro praedam corripit. Aptissimè bestia praedanda transfigitur. Interdum ardeae praedam quaerentes etiam lentè huc illuc gradiuntur. - Aliae rationes venandi sunt rariores. In variis speciebus observata est captatio bestiarum aquaticarum, quae fit e volatu; ardeae insecta venantur volantes et praedam aquaticam cautè annatant. - Multae ardeae àlis utuntur praedam capientes. Easden enim dilatant, ut umbram efficiant, quam bestiae praedandae petunt, ut se protegant contra solem. Umbra alarum ardeis etiam est alteri commoda: eadem superficies aquae minime reflectatur, ut ardea melius possit prospicere. Multae species ardearum hac ratione technica interdum utuntur, sed *Egretta ardesiaca* utitur semper. Quae alis suis format aulaeum conclusum. Alià ratione venandi memoratu dignà utitur *Butorides striata*, quae consulto insecta in superficie aquae ponit, ut pisces inescet. Magnae ardeae possunt etiam bestias captare valde magnas. Ardea grisea in Belgio photographata est *fulicam* degluttientis; altera in Bataviae provinciâ Ultraiectensi *cuniculum* praedans. Hae autem sunt exceptiones. Saepius ardeae diripiunt nidos avium: *Ixobrychi* interdum ova et pullos *Acrocephalorum* devorant, cum *Nycticorax* attrahitur nidis ibidem et sternarum aliarumque *Ardeidarum*. Nonnullae species insolitas cupiunt praedas. *Egretta novaehollandiae* et *Ardea melanocephala* observatae sunt cadavera bestiarum degluttientes, immo *Butorides striatus* glandibus vescens. Ardea paene omnivora est *Bubulcus ibis*. Idem interdum quidem etiam comedit nutrimenta ardeis typica, qualia sunt pisces aliaeque bestiae aquatiles, sed solet versari ab aqua remotus, ut eius praedae praecipuae sint insecta; interdum nutrimenta quaerit in depositoryis purgamentorum, item cupit nutrimenta herbacea, quae furatur in siris agrorum. Sed *Bubulcus ibis* notissimus est eo quod magna mammalia (e.g. boves, bubalos, elephantos eqs.) comitatur eosque a parasitis cutaneis liberaret. Pleraque ardeae prolem educant in coloniis – sed sunt etiam, quae prolem curent solitariae, velut *Ardea goliath* et *Botaurinae*, necnon species, quae et possunt in coloniis prolem curare et solitariae, e.g. *Ardea cinerea*.

Coloniae ardearum interdum sunt ingentes: e.g. in delta fluminis Nigri colonia ardearum complexa est 68.300-70.800 paria ardearum variarum specierum. - Propagatio prolis. Locum nidificandi primo advenit mas, qui statim incipit nuptias petere. Variis gestibus ad ritum redactis mas studet favorem feminae captare aliosque mares competitores arcere. Tales gestus sunt erectio capitis collique verticalis, dilatatio alarum, capitis sublatio et demissio simulque pennarum arrectio rostrique crepitatio. - Nidi inveniuntur aut in arboribus aut in harundineto. Nidus *Ixobrychorum* tantummodo aedificatur a mare, aliarum specierum ab utroque coniuge.



Nidus ardearum est accumulatio ramorum et harundinis culmorum, quae aspectum praebet parum ordinatum. Multae species nidum quotannis amplificant, quo paulatim magnitudinis sint ingentis – e.g. 1,5m in nido arborario *Ardeae cinereae*. Nido insunt ova 1-10. *Zonerodius heliosylus* et *Tigriornis leucolophus* unum tantummodo solet parere, sed *Ixobrychi* parere solent decem. Pleraequae autem species ardearum pariunt ova 3-5 ova. Generaliter ardeae zonarum temperatarum plura ova quam ardeae tropicae. Ova plerumque sunt nitide alba aut lucide caerulea, in nonnullis speciebus etiam olivaceo-fusca (*Botaurinae*) maculata (*Tigrisoma*). Incubantur per 14-30 dies, quod solet fieri ab ambobus parentibus. Raro

invenitur etiam parasitismus prolis curandae, in quo ardea femina ova parit in nidum alterius speciei. Pulli non simul excluduntur. Itaque pullus aetate maximus incremento aliis superior est; cum pulli cibantur a parentibus, conatur fratres sororesque minores a nutrimento remove. Ideo saepius fit, ut pulli iuniores fame pereant aut ictu rostri fraterno, sed hostili moriantur. - Pulli primo paene sunt nudi. Qui in nido remanent per tres et dimidium annos. Hoc spatio temporis pulli nutriuntur pulte nutrimenti semi-digesta, quae ab ambobus parentibus aut in nidum aut directê in rostrum pulli eructatur.

DE LEONE

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

En aspice Regem Bestiarum: Babae - quanta vis, quanta formositas, quanta maiestas! Leontologia: Leones quales sint et quomodo vivant.

Leones tigrilibus exceptis sunt felidae omnium maximae. Qui tigrilibus et leopardis et oncis (onca = *Jaguar*) valde affines sunt. Leones mares iubati cum sint, aspectum praebent ex horrido speciosum, sed iubae pulchritudo multo magis exprimitur in leone hortum zoologicum inhabitante quam in fero, cuius iuba dumetis et senticetis admodum revulsa est. Pellis leonina est fulvi coloris rubeoli, latus inferius paululo lucidius. Cauda leonis longa parsim tantum est capillata, in fine est cirrus nigri coloris. Quo in cirro est ,aculeus', qui dicitur; idem constat ex caudae leoninae vertebrâ ultimâ.

| | |
|----------|---------------------|
| classis: | Mammalia |
| ordo: | Carnivora |
| familia: | Felidae |
| genus: | Panthera |
| species: | Panthera leo |



| | |
|---------------------|---|
| habitatio: | Originaliter leones vixerunt totâ in Africâ, Asiâ australi-orientali, Indiâ. Hodie eadem feles mirabiles in eâ tantum regione Africae vivunt, quae est in meridie <i>Saharae</i> necnon in regione paeninsulae Indicae <i>Kathiawar</i> , quae obtegitur lege naturae tutandae. |
| plâgae inhabitatae: | dumeta et zavana, in India etiam silva lucida. |

mensurae et pondera:

| | |
|----------------------------|------------------|
| longitudo corporis maxima: | 180 cm |
| altitudo umerorum maxima: | 90 cm |
| pondus maximum: | 250 chiliogramma |
| longitudo caudae: | 80 - 100 cm |



Leones tigrilibus exceptis sunt felidae omnium maximae. Qui tigrilibus et leopardis et oncis (onca = *Jaguar*) valde affines sunt. Leones mares iubati cum sint, aspectum praebent ex horrido speciosum, sed iubae pulchritudo multo magis exprimitur in leone hortum zoologicum inhabitante quam in fero, cuius iuba dumetis et senticetis admodum revulsa est. Pellis leonina est fulvi coloris rubeoli, latus inferius paululo lucidius. Cauda leonis longa parsim tantum est capillata, in fine est cirrus nigri coloris. Quo in cirro est ‚aculeus‘, qui dicitur; idem constat ex caudae leoninae vertebrâ ultimâ.

Tale animal quanto est robore! Leo adultus uno tantum ictu brancae suae anterioris frangit cervicem *zebrae*. Licet leones rarius saliant quam tigrides sibi affines, sed salire possunt in altitudinem 3,50 (i.e. trium – virgula – quinquaginta) et per distantiam decem fere metrorum. Babae! Ingenti robore et unguibus deminutis fieri potest, ut leones sat bene in arbores connitantur. Qui unguibus anterioribus arbori impactis tollunt sua corpora porro, retro demittunt.



Leones vivunt agminatim. Agmen autem leoninum, quod constat ex triginta summum leonibus, semper ducitur a mare robusto. Praeter hunc marem ducem agmen complectitur complures feminas et catulos variae aetatis. Nutrimentum a nemine comparatur nisi a feminis, id est leîs sive leænîs. Plerumque hae bestiae venantur matutinis horis frigidulis aut vespertinis. Ad bestias praedandas, velut zebras, antholopês¹, phacochoerôs, leænae, quantum possunt, arrêpunt ex insidiis impetum facturae. Leo bestiam captam occidit brancâ semel tantum dorso impactâ. Quamvis solae feminae venentur, primo loco mares suam partem praedae devorant.

¹ Online Etymology Dictionary //www.etymonline.com/ s.v. antelope: „1417, from O.Fr. antelop, from **M.L. ant(h)alopus**, from **Gk. antholops** (attested in **Eusebius of Antioch, c.336 C.E.**), a fabulous animal haunting the banks of the Euphrates, very savage, hard to catch and having long saw-like horns capable of cutting down trees. Original sense and language unknown (it looks like **Gk. "flower-eye," as if from anthos + ops, but that may be a result of Gk. folk etymology**). A heraldic animal, also known in **M.L. as talopus and calopus**, the name was **applied in 1607 to a living type of deer-like mammal**.



De leonis vi symbolicâ. Antiquitus leo est symbolum regni atque potestatis. Cuius bestiae regiae imago inest heraldis et vexillis innumeris, mythis et fabulis per totum fere orbem terrarum divulgatis. Propter ingens caput suum mirabiliter iubatum necnon propter rugitum suum perterritum leo in apologis habetur pro „Rêge bestiarum“. Homines autem, qui sint nativitate leonina, dicuntur esse potestatis conscii cupidique.

Evolutio: quae ratio intercedat inter leones et tigrides. Leones evoluti sunt e lineâ, quam communicant cum tigrilibus. Quarum una species cum alterâ adhuc coire possunt, interdum ita, ut pariant catulos mixticios. Originaliter enim leones vixerant in tribus continentibus, in Europa et Africa et Asia. Postea autem e prisco leone occidentali evolutus est aetatis glacialis posterioris „leo troglodytes“, e prisco leone orientali evoluta est tigris. Itaque in Africa nullae vivunt tigrides ferae. In Indiâ autem adhuc inveniuntur pauci leones (populatio regionis tutelaris, c.n. *Gir*). Praeterea leones aliis in biotopis vivunt ac tigrides. Leones enim cum soleant inhabitare tesqua (quales plagae dicuntur etiam nomine Latinizato *steppae*), tigrides plerumque pervagantur *zangalas, id est abditas silvas tropicas.



Leones ubi vivant. Leo indicus (subspecies *Panthera leo goojaratensis*) non iam invenitur nisi in civitatis *Gujarat* regione tutelari, quae appellatur *Gir*. Ibi adhuc vivunt aliquot centum leones. In Africa autem leones feri nascuntur in regione, quae sita est in meridie desertorum *Saharae*, ibidem adhuc vicunt quattuor subspecies leonum variae. Decenniis ante iam extinctae sunt leonis subspecies, quae *Panthera leo barbaricus* et *Panthera leo melanochaita* nuncupatae fuerunt pergrandes et speciosissimae. Eaedem inhabitaverant tesqua Africae orientalis et occidentalis.

Humanâ prole immodicê augescente leones magis magisque rediguntur in paucas regiones tutelares. Quibusdam in fabulis leo falso narratur versari in zangalis aliisque silvis densis; sed reverâ talibus in plâgîs Rex bestiarum rarissimê invenitur. Idem e contrario amat aperta tesqua graminosa et latissima, ubi investigat bestias praedandas praecipuas, quales sunt bubali, zebrae, antholopes, praesertim connochaitae (quae vulgo *gnou* dicuntur). Sed etiam in montibus Africanis leones versantur, in altitudinibus summum quattuor milium metrorum.

Structura corporis. Leones mares et feminae inter se valde differunt. Qualis differentia a biologicis dicitur *dimorphismus sexualis*. Mares in capite, partim etiam in abdomine exornati sunt iubâ mirabili maximêque

magnificâ. Iidem praeterea tricenis vel quingenis partibus centesimis maiores sunt feminis iubarum expertibus.

Leones adulti pendunt summum 250 chiliogramma. Qui longi sunt (caudâ inclusâ) tria fere metra, altitudine umerorum unius summum metri. Leones sunt corporis ponderosi et compacti. Currere possunt summum sexagena chiliometra per horam, sed tantam celeritatem tantummodo per aliquot centum metra possunt servare.

Pellis catulorum leonis lineamento suo similis est pelli leopardorum; quod lineamentum primo anno aetatis evanescit. Pellis autem leonis adulti tenore est fulvo-fusco. Cauda longa est fimbriâ finali crassâ et nigris pilis obsita.

Leones feri aetatem assequuntur circiter quindecim annorum, in hortis autem zoologicis nonnulli leones assecuti sunt aetatem viginti quinque annorum.

Oculi leonum pupillis sunt rotundis, cum alii felidae habent pupillos rimis aut ovis similes. Lingua leonina in parte superiore instructa est denticulis corneis, quibus caro bestiarum captarum de ossibus radatur.

Leonis brancae anteriores sunt robustissimae: quae decies robustiores sunt quam manûs hominum. Uno ictu earum leo bestiae captae, velut zebrae, potest frangere cervicem. Sicut omnes felidae leo currit in digitis pedum, qui hac de causâ sunt tomentosi.



Leonis organa sensuum perbene operantur, praecipuê leo videt per tres dimensiones, videt etiam tempore nocturno necnon sonos audit auribus in directiones versus.

Nutritio

Leae venari solent gregatim. Quae venantes bestiam maturê eligunt et agmine circumsaeipiunt. Cum una aut duae leaenae bestiam praedandam fugant et abigunt, ceterae exspectant, dum illa bestia sibi adigatur. Bestia praedanda autem novis aggressoribus conspectis se vertit, ut fugiat, sed videt se esse circumclusam. Non potest, quin praebat latus suum violabile leae, a qua brancam impingente statim occîditur. Nam lea mordendo discindit arteriam bestiae captae collarem, ut mors fiat sanguine effuso. Haec ratio venandi gregalis est necessaria, quia lea sola bestiam plerumque non tam diu potest persequi, ut capiat.

Bestia occîsa a toto agmine plerumque ad locum tranquillum et umbrosum trahitur, ut ibi communiter devoretur. At tempore siccitatis, quo nutrimenta sunt rariora, leones mares principatum devorandi postulant. Secundo loco licet feminis devorare, ultimo demum locum catuli leonini. Si summa est penuria nutrimentorum, primo catuli leonini fame moriuntur.

Leo sibi non temperat, quin carnem quoque comedat bestiae a se non captae.

Praeterea leo degluttire solet bestias minores, velut lepores, si valdê famelicus est, etiam aves, immo insecta. Eximiê autem cupit devorare carnem animalium ruminantium, quorum viscera multa vitamina continentia primo loco devorat. Leones adulti summum viginti chiliogramma carnis possunt degluttire.



Mores leonum

Leones bestiae sociales cum sint, magnis gregibus inter se consociantur. Quo more leones valde differunt a ceteris felidis maioribus. Iidem non sequuntur magnas catervas bestiarum aquam petentes, sed remanent intra cynegesium suum, id est regionem venandi sibi propriam. Feminae (summum decem) agmine formato cynegesium aliquod occupant, cum mares (summum quattuor) grege pugnatorio formato cynegesium communiter defendant, praesertim contra leones alienos. Mares autem per totum diem cum negotiis defendendi sint obstricti, ipsi non vacant venando. Itaque munus venandi suscipitur a feminis, quae tamen concedant maribus portionem carnis primam et maiorem (unde derivata est vox metaphorica ,portionis leoninae’).

Paucae tantum et minus vehementes fiunt pugnae, quibus de ordine decertatur, inter mares eiusdem gregis. E contrario leones alicuius agminis fatali cum vehementiâ pugnant cum leonibus alienis vagantibus, qui volunt se agmini adiungere. Si tales ,invasores’ victoriam pepererunt, saepe catuli ducis praecessoris necantur; hic mos, qui nobis crudelis videtur, in naturâ saepe potest observari.

Si quo in agmine aliqui leo moritur, in eius locum supponitur catulus. At ceteri leones iuvenes omnes necesse est anno aetatis secundo aut tertio agmen relinquunt, ut condant proprium agmen aut se adiungant agmini

alieno, cum leaenae iuvenes remaneant in agmine suo originali. Cynegesium autem leoninum, quod complectitur circiter 100 chiliometra quadrata, necesse est contineat sat multos fontes et locos umbrosos. Leones mares non pubescunt ante annum aetatis quintum aut sextum neque antea in agmen alienum cooptantur. Antequam maturitatem assecuti sunt, leones plerumque solitarii (nomades) per tesqua vagantur. Tales nomades saepe inter se consociantur ad parvos greges formandos posteaque sibi expugnant gregem feminarum cum cynegesio.

Rugiunt leones, ut alienis leonibus deterritis cynegesium suum defendant.

Rugitus leoninus audiri potest per complura chiliometra. Leaenae autem potius rugiunt, ut inter se communicent de directione invenienda.

Homine excepto vix aliud animal impetum facit in leonem adultum. Leones plerumque pugnant contra alios leones rivales. At interdum vehementer etiam pugnant cum hyaenis aliisque bestiis commensalibus, ut defendant praedam suam.

Saepe leones iam cultae sunt ut bestiae domesticae, quod bene fieri potest propter eorum mores sociales. Prius multa templa erant, quae custodirentur a leonibus. At iidem cum degluttiant ingentes copias carnis, numquam diutius ab hominibus colebantur.

Leones sunt quidem bestiae die activae, sed venari mânt horis vespertinis aut nocte ineunte.

Prolis leoninae propagatio. Leaenae pubescunt tres aut quattuor annos natae catuliuntque per totum annum quibusdam pausis interpositis. Quae post spatium graviditatis 100 vel 120 dierum pariunt binos aut quinos catulos. Leunculi neonati pendunt 1,0 vel 1,4 chiliogramma, lactant per annum dimidium, primo caeci sunt, post duas demum septimanas oculos aperiunt. Propter nutrimenti penuriam aut parentum negligentiam vicenae tantum partes centesimae catulorum assequuntur aetatis annum secundum. Tamen catuli superstites sufficiunt ad numerum leonum agminis servandum. Leunculi tres menses nati unâ cum matre primas faciunt expeditiones. Leo autem anniculus instructus iam est dentaturâ permanenti, quo non iam sit matri obnoxius; tamen plerumque per unum aut duos annos in agmine remanet.

Dixi. LEO LATINUS

CHRESTOMATHIA PHILIPPI NEOLATINA

(Pars III)

cfr Pars I, Pars II, EL 254, p.36-48.

PHILIPPI, Ferdinand: Die Latinität der Neuern von dem Wiederaufleben der Wissenschaften bis auf unsere Zeiten. Ein Hilfsbuch für den Unterricht im lateinischen Styl und für Bildung des Geschmacks, zum Schul- und Selbstgebrauch herausgegeben von Dr. Ferdinand Philippi. Grossherzoglicher Sächsischer Hofrath, Leipzig 1825.

i.e. Latinè:

PHILIPPI, Ferdinandus: Latinitas auctorum recentiorum qui scripserunt a Renascentiâ Litterarum usque ad aetatem nostram. Liber adiutorius elocutionis Latinae et saporis erudiendi, ad usum scholae aut tironis ipsius, editus a Doctore Ferdinando Philippi, Consiliario Saxoniae Archiducali, Lipsiae a.MCCMXXV.

| |
|--|
| VII |
| Inhalt - Argumenta |
| Beschreibungen - DESCRIPTIONES |
| 8. Der Hahn - GALLUS <i>Melchior de la Cerda</i> |
| 9. Das Landhaus – VILLA <i>Petr. Firmianus</i> |
| Schilderungen - NARRATIONES |
| 1. Der Sturm – PROCELLA <i>B.I. Bisselius</i> |
| 2. Die Überschwemmung – INUNDATIO <i>C. Lebeau</i> |
| |
| |

DESCRIPTIONES

8.

GALLUS

Scripsit Melchior de la Cerda

Gallo gallinaceo honorem et praestantiam quandam natura largita est, qui formae excellentiâ condecoratus, plumis splendidis ac micantibus, et vario saepe colore distinctus vestitur. Cristam rectam et excelsam, spectatissimum insigne, et serratum, quod magis eminent, et spectatur cum erecto collo huc illucque inflectens, omnia prospectat et cum iactatione quadam corporis totius imprimens vestigium incedit, flexa a summo cauda speciem illustrem praebente, et spiculis crurum, quibus ad se ulciscendum armatus est, porrectis, apparentibus, gallinarum delectatur plausu mirifico, quibus favet, et maiorem amplitudinem praefert.

Ex cunctis volucris crebro caeli faciem suspicit, quem vigilem, et in excitandis ad pensa sua mortalibus, rumpendoque somno natura generavit. Ternas distinguit horas interdiu canens, nocturna vero spatia non minus



astrologorum intelligens, crepusculo cubitum tendens, tribus ante mediam noctem horis canit, medio eiusdem cursu vocem iterat, tribus etiam ab intempesta nocte horis similiter canit, quod tempus ob hanc causam *gallicinium* appellatur. Sed maxime galli antelucano tempore canunt naturali quodam sensu solis ad nos redeuntis quasi effectorem magnarum rerum salutantes, impulsu ceu calliditate suae naturae, et motus ubique capiendi cupiditate.

Videre est gallos pro gallinis contra serpentes milvosque dimicantes, atque ut gallinas custodiant, alienas a grege abigentes, atque mares

nonnulli visi sunt, qui, cum forte femina interiisset, ipsi officio matris fungerentur, pullis ducendis, fovendis, educandisque operam dantes.

Cum imperitent suo generi, et regnum, in quacumque sunt domo, exercent, dimicatione paritur hoc quoque inter ipsos, veluti ad hanc rem agnata tela cruribus suis intelligentes; nec finis saepe, nisi commorientibus. Quod si palma contingit, statim victores canunt, seque ipsi principes testantur; victi occultant sese silentes, aegreque servitutem patiuntur.

DESCRIPTIONES

9.

VILLA

Scipsit Petr. Firmianus

Aulâ tumultuante, secesserat in villam suam Artemius, specie quidem levandae infirmitatis ex aëris mutatione, revera ut otio frueretur, et periculosae negotiorum administrationi subtraheret assuetum curis utilioribus animum. Neque squalida et fovendo apta maerori solitudo, quam petierat, vir honestis voluptatibus aequae ac paci natus: ea quippe rerum amoenitate conspicua erat, quae vel captivo et exuli, post abscissas spes damnatamque fortunam, placere potuisset.

Ex colle modico, liber in patentissimos campos serpentemque per diversos errores fluvium prospectus, domum commendabat, inter vineta et frondosas ulmos non invidiose surgentem; verum ex forma, nec vulgari, nec superba, et ex munditie, quae ubique pari honore nitebat, senatore ac philosopho dignam. Praecipuis partibus, quarum in interiori aedificio cura potior est, parca manu cum auro marmor additum; ut inter artis delicias non periret modestiae decus, sobriaeque et sibi imperantis fortunae verecundia. Parietes ad corporum sanitatem stramento nexili, a summo ad imum vestiti, aulaeis additis, etiam nenuste abscondebant suam rusticitatem; nec deterior reliqua suppellex, cuius domini esset, et quam sapienter culti, ipso rerum nitore testabatur.

In singulis fere cubiculis pictorum fama illustrium tabulae plures, operosa manu exaratae. Accedebat ad tot artium ornamenta bibliotheca rusticationi accommodatior, non in qua essent ad fastum plura volumina, quam quae sapienti sufficiant, scientique, librorum copiam ingentem, non minus

eruditioni officere, quam flammae vim olei nimiam, corporique humano cibos abundantiores. Satis fuerat Artemio, ad studendi commodum eos collegisse scriptores, in quibus praecipua auctoritas, scientiaeque, ut ita dicam, sive sacrae, sive profanae, principatus. Inter hos reges nullus ex auctorum plebe admissus fuerat, pudueratque magnis istos admiscere, qui sunt, etiam in amplissimis voluminibus, quandoque tenuissimi.

Eadem erat hortorum ratio, omni artis, seu naturae varietate spectabilium. Illic non modo flores, qui apud nos colore aut odoribus praestant; verum et ex peregrinis praecipuos videre erat, quos ad alieni soli patientiam adduxit aetatis nostrae diligentia. Neque minori studio undique collectae arbores, quotquot fructibus utiles sunt, eo consilio in diversa distributae, ut non unius partis tota esset fecunditas. Plures tamen in viridarii ambitu muris affixae opportuniori sole fruebantur, et fructuum maturescentium colore propecto, ad praesentiolem voluptatem invitabant intuentes.

Nec molles ex fronde porticus, nec statuae dispensatis per fistulas aquis manantes, pulcherrimo loco deerant; neque in multos passus productae ambulationes; non denique ad solitudinem inter densissimas arbores furtivi recessus: ut sive confabulari velles, sive extra conspectum spatari, necessariis curis sine teste intentior, dissimilis voluptas iucundissima vice afficeret diversa cupientem.

.....

NARRATIONES

1.

PROCELLA

Scipsit B.I Bisselius

Praeter disturbatum procellis aërem, et furentium Austrorum violentiam, ex obliquo pelagus miscentem, etiam nubes, aestivis incensae caloribus, inter sese collidebantur, creberrimoque ruptae tonitru, fragoribus aures nostras, tumultu pontum ac caelum, fulgurum flammis oculos, ignium iactu proxima litorum et pavore palpitantia corda verberabant. Insuper etiam tenebris suppressus diei nitor nocte praepostera nautarum ministeria suspenderat, nulla regendae navis spe relicta, neque modo vel adiumenta; dixisses in antiquum omnia revoluta chaos; quodamque mox veluti

cataclysmo superfundi. Nam etiam, ne quid ad malorum cumulum deesset, praecipiti ruina fracta nubila (cum procella quam Ecnephiam dicunt, nimbos impelleret), improbis imbribus descendebant, et, assiduo casu labentia, mari veteri maria nova videbantur effundere; cum interim et ab ancoris ancipiti fide pendens, navigium nostrum fluctuaret, in momenta singula ruptis rudentibus, et saevo tot fluctuum agitato saxis litoralibus celox impingeretur. Silvae quoque, propinquis praetentae litoribus, mari magis ad horrorem, quam ad subsidium periclitantium, incumbebant, non frangendis ventorum incursibus, quam augendo terrori, validiores, insano mugitu tot milibus arborum inter sese collisis, et ramorum fremitu longe lateque tumultuante.

NARRATIONES

2.

INUNDATIO


Scipsit C. Lebeau

Laborabatur inopia frugum et caritate annonae ob messis angustias, et saevius in dies miseria grassabatur. Accessit ad hanc calamitatem malum aliud, quod futurae spem segetis in discrimen adduceret. Ecce seu copia nivium, seu vehementius invecti maris aestu, in immensam altitudinem intumescunt fluvii, et prope subita aquarum diluvie latius effunduntur. Quin etiam ut in civili tumultu insignem se saevitia facit infima plebs, crescunt in insolentem molem rivuli etiam ignobiles, et qui tenui ac prope arido alveo aquisitionem antea dabant, viciniam inundant. Franguntur aggeres, pontes corruunt, invicta bellis arcium propugnacula evertuntur. Fit in agris strages hostili strage atrocior. Agrestium casas non subruit solum, sed abripit undarum vis; vicos etiam totos cum impetu avulsos trahit. Alii repentino malo oppressi hauriuntur; alii vicina clade admoniti deserunt casas, et miseram suppellectilem, summodo sese et carissima pignora exitio eripiant respectantque lugentes agros suos iam frustra seminatos. Quidam etiam nocturno incremento in villis castellisque deprehensi, lucente iam die inclusos sese et obsessos, villasque in insularum faciem versas vident, et in improvisa calamitate nulla spe tuendae vitae, si diutius aquae incubuerint, iam futura famis mala animo praecipiunt; quam ut aufugiant alii mittunt se in aquas; alii e tectis vicinorum opem, si quae sit,

implorant; ac in urbibus, quas fluvii aut praetereunt, aut interfluunt, eo foedior facies, quo densior materies mali. Nam in inferioribus locis prope demersas domus, refugientibus in summa tecta incolis, vix in sicco habitant; relinquunt excrescentibus aquis et summa gradatim petentibus. Aedes undique deseri, exportari vasa et undis corruptae merces; ad alienam opem quisque tendere. Excussi e tectis suis, et media in patria eieci et exules. Qui vero etiam procul a periculo habitabant, ii non miseratione solum, sed propriorum etiam malorum metu angebantur, cum interclusa navigatione uti non possent beneficio fluminum; et in convecto antea com meatu brevem sibi spem superesse intelligerent.

FABELLA GRIMMIANA

POLLICARIUS FILIUS VESTIFICIS QUALE ITER FECERIT*



Vestifici¹ fuit filius, qui, cum esset parvâ staturâ nec pollice maior, vocabatur Pollicarius. At idem erat animo tam audaci, ut patri suo diceret: »Pater, non possum quin proficiscar in terras longinquas«. »Hoc comprobo, mi fili«, pater dixit, acum

*originaliter: „Des Schneiders Daumerling Wanderschaft“. cfr <http://www.litdb.evtheol.uniMainz.de/Biographien/Pollicarius,%20Johannes.htm>: „Pollicarius, Johannes eigentlich Daum oder Däumling geb. ca. 1515 in Zwickau, gest. nach 1562, luth. Theologe und Dichter...“

1 **vestifex**, vestificis m. orig. *Schneider*, angl. *taylor*. cfr *vestificulus, -i m. orig. *Schneiderlein*.

grandiorem sumpsit eidemque candelâ flagrante adiunxit nodum laccae sigillariae, »eccum dolonem, quem tecum auferas abiturus«. Nunc vestificulus, cum ultimam habere vellet cenam cum parentibus communem, salut in coquinam, ut videret, quid Domina Mater coxisset ultimo comedendum. Cum cena modo esset praeparata et patina staret foco imposita, Pollicarius: »Domina Mater« inquit »quid hodie habes comedendum?« »En videas ipse«, mater dixit. Tum Pollicarius focum insiluit patinamque inspexit: At quia is collum patinae nimis altê inseruit porrectum, vapore cibi correptus per caminum agitatus est. Paulisper vapore actus per aëra equitabat, usque dum tandem humum relapsus est. Nunc vestificulus foris erat in regione longinquâ, huc illuc migrabat, apud fabrum magistrum etiam laborem suscepit, sed cibi illius vestificulo parum sapiebant. »Domina Magistra, nisi nobis dederis cibos meliores«, Pollicarius inquit, »cras mâne abiturus cretâ inscribam ianuae domesticae: ,CARNI PARCUNT, GAUDENT TERRAE POMIS, VALE DICO ISTIS PARCEPROMIS!¹« »Quidnam vis, allex viri²?« magistra dixit indignata, panno comprehenso voluit illum mulcare: at vestificulus cito sub digitale³ surrepsit, e digitali inferiore prospiciens Dominae Magistrae linguam exsertabat. Ea autem digitali sublato voluit vestificulum comprehendere, sed parvus Pollicarius pannis insiluit, et ubi magistra pannis disiectis eum quaesivit, invasit in rimam mensae. »Eho, eho, Domina Magistra«, vocans caput erexit et quandocumque illa erat vestificulum caesura, is desiliebat in forulum ductilem⁴. Tandem autem magistra vestificulum comprehensum foras eiecit.

Deinde vestificulus migrans vênit in magnam silvam: ibi incidit in catervam raptorum, qui voluerunt compilare thesaurum rēgis. Vestificulo aspectu iidem raptores cogitaverunt: »Tantulus pumilio cum possit repere per foramen clavis, nobis erit tamquam clavis adulterina«. »Heus tu«, alter vocavit, »gigas Goliath, nonne vis nobiscum ire ad gazophylacium? Irrepas et pecuniam eicias«. Pollicarius aliquamdiu deliberavit, deinde affirmavit et cum illis iit ad gazophylacium. Tum ianuas aspectabat superiorem atque inferiorem, num inveniret rimam. Nec mora, in aliquam rimam inventam voluit inscendere. Unus autem custos dixit ad alterum: »Heus quam taetra repit ibi aranea? Quam conculcabo«. »Ah mitte bestiam miseram«, alter inquit, »quae nihil tibi fecit.« Nunc Pollicarius feliciter per rimam in gazophylacium pervênit, fenestram aperuit, sub qua raptores stabant, eisque eiecit unum thalerum post alterum. Vestificulus cum erat medio in labore perficiendo, subito audivit regem advenientem gazophylacium inspecturum, ut properê abreperet. Rex animadvertit multos thaleros duos deesse, sed non comprehendit, quis eas furatus esset, quia

1 **parceprōmus**, -ī m. est homo nimis parcus. PLAUT. Truc.183

2 **allex**, allicis m. Ge. s.v. «= pollex in pede, die große Fußzehe, s.Gloss. V,591,10. – dah. scherzh., hallex viri, Däumling, Fingerling, Plaut.Poen.1310. » – PLAUT.Poen.1309-11: Ligula, in' malam crucem?/ Tune hic amator audes esse, hallex uiri,/ aut contrectare quod mares homines amant?

3 **+digitale**, -is n. Du Cange p.113, s.v.: «DIGITALE, Theca, in modum digiti confecta...». cfr He. 205, s.v. Fingerhut: «digi munimentum [Sch.1789]; digitale, -is n. [DuC.; Vr.1595,29]...»

4 **forulus ductilis** – orig. *Schublade*. - angl. *drawer*.

claustrum et repagula adhuc erant efficacia et omnia videbantur esse bene asservata. Tum rex abiturus duobus custodibus dixit: »Cavete, aliquis cupit pecuniam furari«. Cum Pollicarius nunc denuo inciperet laborare, audiverunt intra pecuniam commotam sonare tux, tax, tux tax. Intro properantes voluerunt furem comprehendere, sed vestificulus, qui illos venire audiret, etiam velocior cum esset, in angulum insiluit thaleroque se obtexit, ne quid sui appareret; necnon custodes cavillans vocavit: »Hîc sum«. Custodes illuc currebant, sed cum advenirent, Pollicarius iam pridem tertio angulo insidens vocavit: »Ohe, hîc sum«. Sic autem vestificulus illos eludens per gazophylacium tam diu circumagebat, usque dum fatigati abirent. Nunc thaleros unum post alium eiecit: ultimum quam vehementissimê, deinde eidem ipse insiluit et per fenestram devolavit. Tum raptores eum valdê laudantes, »heus tu, ingens heros, vin' fieri dux noster?« Pollicarius autem gratias egit et dixit primum sibi esse mundum permigrandum. Nunc praedam dividerunt, sed vestificulus unum tantum nummum cruciatum postulavit, quia plures ferre non potuit.

Deinde Pollicarius dolonem fibulâ subnexit, raptoribus valedixit, iter perrexit. Qui iterum iterumque conabatur apud magistros opus vestificum exercere, sed hoc cum ei displiceret, tandem in cauponâ quadam operam suscepit famuli domestici. At ancillae Pollicarium non diligebant, nam îdem cum invisibilis videret omnia, quae illae clam faciebant, dominis nuntiabat, quid ancillae e catinis surripuissent exque hypogeo essent furati. Tum ancillae: »Exspecta« inquirunt »istud dolebis!«, et inter se composuerunt, ut illi dolum necterent. Paulo post cum quaedam ancilla in horto gramina resecaret Pollicariumque videret circum salientem et per herbas sursum deorsum repentem, eundem cum graminibus celeriter converrit et omnia magno panno colligavit et clam vaccis proiecit. Inter vaccas autem fuit magna quaedam nigri coloris, quae Pollicarium cum gramine degluttivit eundem non laedens. At ei vacca inferiora displicuerunt, nam fuerunt obscura nullâ luce lucente. Cum vacca mulgeretur, Pollicarius vocavit:

*»Age, age, mulgeas,
situlam ut compleas!«*


At propter strepitum mulgendi non intellectus est. Deinde dominus stabulum intravit et:»Cras« inquit »haec vacca mactetur«. Tum Pollicarius tanto timore correptus est, ut clarâ voce vocaret: »Primo me sinite exire, nam vaccae insideo«. Dominus haec quidem audivit, sed nescivit, unde vocatum esset. Is vocavit: »Ubi es?«. Ille autem respondit: »In nigrâ«, sed dominus, quia non intellexit, quid hoc valeret, abiit.



Postridie mâne vacca est mactata; feliciter accidit, ut Pollicarius, cum vacca discideretur et dissecaretur, nullo ictu afflictus est, sed iniectus est in eas carnes, quibus farcimina erant facienda. Cum lanius accederet opus suum incohaturus, Pollicarius quam fortissimê clamavit: »Ne caedatis nimis altê, ne caedatis nimis altê, nam ego subsum«. At strepitu cultrorum impeditum est, ne hoc audiret ullus homo. Nunc Pollicarius miserrimus fuit in summâ necessitate, sed necessitate cum pedes accelerentur, îdem tam agiliter inter cultros persiluit, ut a nullo attactus evaderet

integer. At tamen e carnibus non effûgit: itaque impedire non potuit, ne cum laridis in sanguiculum infarciretur.

Tum Pollicarius angustiis pressus est necnon in camino ad fumigandum suspensus est, ubi vehementer vexabatur molestiâ temporis. Tandem hieme delatus est, quia sanguiculus convivae alicui erat apponendus.



Cum autem domina copa farcimen in orbiculos dissecaret, Pollicarius cavit, ne sibi caput nimis protensum amputaretur. Tandem occasiunculâ captâ exsiluit.

Nunc vestificulus, quia in eâ domo, ubi tanta mala passus esset, nollet remanere, statim perrexit migrare. At haud diu libertate perfructus est: Nam in campo aperto incidit in vulpem marem, a quo est devoratus. »Heus, Domine Vulpes«, vestificulus vocavit, »ego sum is, qui haeret in gutture tuo, emitte me.«



»Rectê dicis«, vulpes respondit, »ferê nihil cibi mihi es tu ipse; at si mihi pollicitus eris gallinas in aulâ patris tui versantes, te liberabo.« »Ex animo«, Pollicarius respondit, »te gallinas accepturum esse omnes, hoc tibi promitto.« Tum vulpes eum emissum ipse domum portavit. Pater autem carum suum filiolum respiciens vulpi libenter dedit omnes gallinas, quas habuit. Pollicarius: »Ad id compensandum« inquit »tibi mecum attuli pulchram monetam«, et patri obtulit nummum cruciatum, quem accepit in itinere faciendo.

»At quare vulpi permisisti, ut devoraret miseras gallinas pipiantes?« »Vah, ineptule, scilicet patri filius carior sit quam gallinae in aulâ versantes.«

*** * * FINIS * * ***

**Hanc fabellam Grimmianam
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



DE LATINIS AMBULATIONIBUS AUGUSTANIS

<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

Augusta Vindelicum, theodiscê *Augsburg*, patria mea urbs, in Germania meridionali in parte Bavariae, quae iacet ad Alpes, sita est. Imperator Octavianus Caesar Augustus, qui urbem anno quinto decimo ante natum Christum dicitur condidisse, celebre ad posterum nomen novae urbi dedit: Augusta Vindelicum. Sic urbs fundatio filia ipsius Romae est. In antiquissimarum urbium Germaniae numerum refertur.

Omnibus temporibus lingua Latina in urbe vigeat. Pauca exempla proponam:

Lingua Latina tempore antiquitatis cunctorum sepulcrorum Romanorum elogia scripta sunt. Lingua Latina Venantius Fortunatus tempore mediaevali priore beatam martyrem Afram praedicavit (VEN. FORT. Mart. 4,463). Lingua Latina Gerhardus, presbyter Augustanus, anno 993 vitam Udalrici episcopi Augustani composuit (GERH. AUGUST. Udalr.). Lingua Latina articuli fidei Confessionis Augustanae (CA) anno 1530 in comitiis imperii Augustae celebratis coram Carolo imperatore huius nominis quinto recitati sunt. Lingua Latina Conradus Peutinger, vir humanitatis studiosus, ad eruditos eruditasque Europae litteras misit et ab eis rescriptas suscepit (Konrad Peutingers Briefwechsel, hg. v. Erich König, München 1923) et Tabulam Peutingerianam (TAB. Peut.) edere studuit. Lingua Latina Hieronymus Wolf, gymnasii scholarcha, librum scripsit de vita ipsius acta (Helmut Zäh, Die Autobiografie des Hieronymus Wolf, Donauwörth 1998, Mikrofilm). Lingua Latina Pharmacopoeia Augustana, liber de medicamentis et de arte pharmaceutica, curis succedaneis et repetitis typis multoties procusa est. Lingua Latina Franciscus Antonius Veith suam Bibliothecam Augustanam duodecim libris absolvit (Franciscus Antonius Veith, Bibliotheca Augustana, Augustae Vindelicae, 1785 – 1796). Lingua Latina Augustae Vindelicum multi ludi scaenici theatri Iesuitici dati sunt. Lingua Latina plus quam quadringenta epitaphia in ambitu ecclesiae cathedralis Augustanae scripta sunt, quae hodie exstant et visuntur. Lingua Latina Wolfgangus Kaschner, condiscipulus et amicus meus, anno 1982 opusculum suum discipuli abiturientis composuit (De lingua Latina docenda in schola ad St. Annam. Typoscriptum domi meae in privata bibliotheca est). Lingua Latina Valahfridus Stroh anno 1985 Ludos Latinos frequentissimos Augustae Vindelicum celebravit.

Et plura exempla afferre possum. Magnus linguae Latinae litterarumque Latinarum amor in urbe mea usque ad nostram aetatem numquam mortuus est.

Hanc coruscam facem a maioribus traditam, ut amplius luceat, ferre et posteris tradere volo. Pergam, qua praecedentes Latii sermonis amici coeperunt. Et vos in hoc itinere mecum, si vultis, proficisci poteritis.

Nam ex anno 2022 ambulationes Latinas per Augustam Vindelicum facere soleo. Quicquid urbe tota ostendi dignum conspicuumque est, spectandi et audiendi cupidus Latino sermone monstro. Superiore anno 2022 tres tales periegeses factae sunt. Nam periegesium experimentum capere volui. Et profecto periegeses omnibus, qui aderant, - non ego falsa loquor - placuerunt maxime et vehementer probatae sunt. Nam in ambulando non solum serio egimus, sed etiam multas garrivimus nugas. In narrando cognitione digna et hilaria commiscui, ac tamen omnia ex fide referre volui. Semper incorrupta Latini sermonis integritate ūti studui. Nec, cum libuit, paulum interquiescere ac in tabernam aliquam devertere puduit. In tertia ambulatione iam tam in dicendo exercitatus fui, ut mihi contingeret, ut libellum, quem manu tenerem et ad quem interim respicere fas esse mihi concessissem, omnino deponerem et sine scripto loquerer memoriter. Hoc modo non oratio, sed colloquium potius fuit. Latinitate remissa, sermonibus iucundis, conversatione hilari totum viae spatium confectum est. Quid de forte praetereuntibus dicam, qui nonnumquam stupuerunt et vehementer admirati sunt et ex nobis interrogaverunt, quo idiomate miro sermonem conferremus? Tamquam aves paradisiae transmarinae atque adventiciae eis videbamus esse!

Hoc anno, qui est 2023, quattuor ambulationes Latinae fient. In eis ambulationibus quicquid ad aquas Augustanas pertinet, expediam. Nam aquae Augustanae insigne hominum generis patrimonium sunt: Fontes aquarum, quae potantur, rivi et rivuli, aquaeductus subterranei, pontes, turres aquaticae, urbis portae et moenia, rota aquaria, “litus balneare nudorum”, fontes salientes praeclarissimi, simulacra numinum fontibus affixa vobis demonstrabuntur. Ambulationes aestivis mensibus fient. Certe murmur garrulorum rivorum et potus aquae purae et salubris ex fontibus manantis recreatio periucunda et pergrata erit.

Tamen proxime elapsa aestate anni 2022 inter ambulationes meas statum caeli antiqua lege solutum et mutatum esse cognovi. Nam in secunda ambulatione aestatis nimius fervor fuit. Aestivis ardoribus aquae magnitudo deminuta fuit. Rivuli tenui fluxerunt aqua. Rota aquaria autem summam aquam non iam attigit et stare coeperat. Nimius Titan etiam nos fautores fautricesque Latinitatis plane cepit et depressit, ut ex loco opaco in locum opacum fugeremus (vide in Voce Latina, tomo 58, fasciculo 230, paginis 555 et 556). Spero fore, ut aestate proxima futura anni 2023 istud terrarum fatale malum nobis, qui adamavimus litteras Latinas, minus noceat.

Anno igitur 2023 quattuor ambulationes ordinariae “Aquae et muri” fient:

- die Saturni, die 13 mensis Maii, hora secunda pomeridiana
- die Saturni, die 17 mensis Iunii, hora secunda pomeridiana

- die Saturni, die 22 mensis Iulii, hora secunda pomeridiana
- die Saturni, die 16 mensis Septembris, hora secunda pomeridiana

Augustae Vindelicum ante Portam Rubram conveniemus (Am Roten Tor 1) et per duas horas ex commodo vestro ambulabimus. Unusquisque quinos denos nummos Europaeos solvito. Non satis adulti et scholastici et invalidi et emeriti denos nummos solvunto.

Si vultis, apud me etiam ambulationes extraordinarias mandare poteritis. Quattuor argumenta propono:

- Aquae et muri (vide in Voce Latina, tomo 58, fasciculo 230 paginis 565 – 595)
- Augusta Vindelicum Latina (vide, quae superius de ea re scripsi)
- Augusta Vindelicum Christiana
- Augusta transversa (“*Augsburg querdurch*”)

Si quid nescitis, quaerite in sede retiali mea:
maximilianus-schoen.jimdosite.com

Aut telephonice mecum colloquimini:
 Germania, 0821 9069613

Aut mittite epistulam electronicam ad inscriptionem hanc:
maximilianus-schoen@t-online.de

Cum vos Augustae Vindelicum salutare potero, totus gaudebo. Accepti et acceptae venietis.

Scrpsit

MAXIMILIANUS PULCHER

i.e. Maximilian Schön

Augustanus

(Augusta Vindelicum i.q. Augsburg)

DYSTOPIA ORWELLIANA

Cinema animatum quo apparent effectûs Magnae Reinitiationis Schwabianae

(»Beyond the Reset«)

<https://kultur-zentner.de/beyond-the-reset-dystopischer-animationsfilm-spielt-folgen-des-grossen-umbruchs-durch/>



Ecce altera scaena cinematis, c.t. »Beyond the Reset«



scripsit [Eugen Zentner d.16. n.Apr. a.2023](#), in Latinum convertit Leo Latinus

Paucis tantum mensibus post draconêa remedia coronaria praescripta
Nicolaus Schwab praeceptor Fori Oeconomiae Mundani (WEF) librum

publicavit, c.t. «COVID-19: Magna reinitiatio¹», in quo affirmat effectu discriminis societatem esse transformandam. Verba initialia iam illo tempore aures hominum ad se converterunt: „*Pandemia nobis parat raram, sed angustam fenestram temporalem, ut de mundo nostro deliberemus, eundem denuo cogitemus et reinitiemus*“. Locutus autem est de illa *Magna Reinitiatione (Great Reset)*. Qualis talis reinitiatio fieri possit, apparet ex cinemate animato, quod nuper confectum sit. Eodem autem narratur dystopia, quae res futuras pingat coloribus funestis.

Spectatores immerguntur vitae cottidianae **Brucei Kowalsky**, qui vivit in castris quarantaenae ideoque insulatus est a mundo exteriori. Idem Bruceus victualia accipit a *teleplanis*¹ regulariter praetervolantibus, quae non solum curant cibos afferendos, sed etiam omnem motiunculam hominum insulatorum attentissime observant et supervigilant. Cum aliquando heros infelix, qui semper est vultu misere contracto, mascam suam sub naso gerebat, uno ex teleplanis accipit ictum poenalem. Deinde idem machina Kowalskyum monet, ut recte gerat tegumentum orinasale. Tali tutela imperiosa, quae spectat ideologiam et prasinam² et vigilantisticam³, Kowalskyus die noctuque dirigitur neque eandem evitare potest ullo modo. Cum septimanatim ex involucro evolvit portionem victualium, legit praeconia educatoria pyxidibus coca-colae inscripta, qualia sunt: »FAC UT OBOEDIAS!« - »FAC UT SIS PRASINUS!«

Allusiones ironicae

Confectores huius cinematis, qui spectant ad officinam animationis *3D Epix*, manifestant se putare effectus Magnae Reinitiationis esse periculosos, sed etiam non abstinere ab ironiâ. Itaque Prasinorum praecepta in hoc cinemate compluries *ducuntur ad absurdum*, velut apparent innumerae *cellulae photovoltaicae* in regionibus, ubi olim creverant arbores et frutices. Alia in scaena in nuntiis publicis refertur de „*programme vaccas extirpandi*“. Quae bestiae officialiter dicuntur expellere nimis multum carbonei dioxydati. Etiam oblique perstringitur *vigilantismus*, qui affecta est insaniâ illâ exaggeratâ *politicae rectitudinis*.

1 orig. „the Great Reset“, theod. „der große Umbruch“. -

1 ***teleplanum**, -ī n. theod. *Drohne*; angl. *UAV = unmanned aerial vehicle*. Quod verbum novatum est a **Gaio Licoppe** Nestore *Academiae Latinitati Fovendae (ALF)*.

2 **prāsinus**, -a, -um i.q. spectat ad ideologiam factionis oecologicae (angl. *Green Party*, theod. *die Partei der Grünen*).

3 ***vigilantisticus**, -a, -um i.q. angl. *woke*: i.q. spectat ad normas **vigilantismi (vigilantismus, -ī m. i.q. wokeism)**.

Cum Kowalsky cinema illud, c.t. „*Patrinus*“ („*Godfather*“) in interreti spectare vellet, certior fit hoc cinema prohibitum esse, quia eodem laedantur sensûs communitatis Italogum. «*Fictio Pulparia*» a scaenotheta *Quentino Tarentino* confectum etiam est prohibita, idque propter violentiam exhibitam. (*adn. interpretis: Cinema illud Orwellianum, c.t. „1984“ indicatur non exstare, et omnino numquam exstitisse*).

Kowalskyus hanc vitam cottidianam patitur vultu stoico et ferreo. Îdem raro tantum aliquantulum subridet, et si subridet, perquam fatigatê. Ut spectator varietate delectetur, confectores cinemati imposuerunt scaenas retrospectivas¹, in quibus protagonista adhuc est felix et una cum uxore sua vita fruitur – usque virus illud ominosum in scaenam prodit.

Deinde connubium Brucei celeriter diffringitur, quia maritus addubitat ideologiam Magnae Reinitiationis.

Brevi post Bruceus abducitur in illa castra quarantaenae, quae similia sunt *instituto transeducationis*. Homines transeducando quomodo se habeant, hîc in cinemate exprimitur *sermone imaginum* frigido.



Ecce altera scaena cinematis, c.t. »*Beyond the Reset*«

¹ **scaena** *retrospectiva, cfr theod. Rückblende; angl. flashback; fr. flashback; hisp. retrospectiva, flashback; flashback)

Affectus animi tristiculus describitur tonis colorum griseis et aridis, tonis musicis funestis.


Hac ratione aestheticâ cognoscitur impulsus, quo spectatores vehementer monentur, ut ideologiam Magnae Reinitiationis in dubium vocent eiusque effectus ad obrussam exigent. Verumne eâdem ideologiâ in terris beatificabimur? An eius promissa nil sunt nisi verba suavisona, quibus occultatur transitus in societatem *supervisionis* et *supervigilantiae* auctoritariam? Hoc brevi cinemate animato huic quaestioni respondetur nobis clarê atque intellegibiliter, sed non remanet in gradu monitionis excitatissimae, sed in fine nobis dat aliquantulum spei. Nam *Bruceus Kowalskyus* aliquando lethargiâ superatâ incipit se liberare ex servitute suâ miserrimâ...

Recensionem cinematis animati, c.t. «*Beyond the Reset*», scripsit *Eugen Zentner*, Latinê reddidit *Leo Latinus*.

HOSTES HUMANI GENERIS



»Pandemia nobis offert raram sed angustam fenestram opportunitatis, quâ nostrum mundum revolvamus et reimaginemur et reinitiemus«. **NICOLAUS SCHWAB** Conditor et Dispensator Fori Oeconomiae Mundani




VILELMULUS PORTARIUS: »Sumus nunc hîc«

TIMOR! - CUSTODIA INFORMATIONIS & CENSURA – QUARANTAENA ET DISTANTIA SOCIALIS –
INCULPA PRAESIDEM TRUMP! - STATUS NECESSITATIS ET STATIONES INSPICIENDI – VACCINATIO OBLIGATORIA
PANDEMIA CONSULTO EFFECTA



MAGNA REINITIATIO - VERSUS TYRANNIDEM SUSTENTABILEM




**HAC HIEME VENIET PRO VOBIS VESTRAQUE FAMILIA
MAGNA REINITIATIO
„NIHIL POSSIDEBITIS, ET ERITIS FELICES“.
CLAUS SCHWAB FORUM OECONOMIAE MUNDANUM
dextrorsum: George Soros – Mark Rutte – Klaus Schwab – Melinda Gates – Bill Gates**



MAGNA REINITIATIO – DISPUTATIO DE NOVO ORDINE MUNDI
supra: *Joe Biden – Barack Obama*
infra: *Justin Trudeau – Charles III. - George Soros*

Evolution to Transhumanism



 **Santander Global Tech**

We are here

Some of us here

A few here

This is already a robot

Evolutio ad transhumanismum

Nos sumus hīc.

Nonnulli nostrum hīc.


Pauci hīc.

Hīc iam est androides.



FIERI DEOS


HUMANOS !



»Moralitas non significat 'oboedientiam erga mandata divina'. Eadem significat 'deminutionem passionis'. Ergo ut agas moraliter, non necesse est te credere aliquem mythum aut fabulam. Necesse est te excolere aestimationem profundam passionis«.
YUVAL NOAH HARARI



**»Revolutio ventura mutabit ... non instrumenta nostra,
sed mutabit ens humanum ipsum«
YUVAL NOAH HARARI**



**»Homines mālunt cogitare fabulis quam rebus factis, numeris aut
aequationibus, et quo simplicior est fabula, eo melior«.
YUVAL NOAH HARARI**

ECHUS VOCES ET EPISTULAE

EDUARDUS MODERATOR GREGIS TORUNIANI

d.22. m.Apr. a.2023 h.21:55

Eduardus Nicolao (Leoni Latino) et ceteris gregalibus, praesertim lectoribus illius ephemeridis c. t. Epistulae Leoninae, sal.:

Mirum modo legi epistolium a Nicolao missum in numero el274.pdf quod sic inquit (una cum aliis epistolis a Victorio et Thoma Coloniensi, sodalibus GLL; pagina 64 reperitur):

"d.4. m.Apr. a.2023 h.14:03 *Nicolaus Victorio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.*

*Quid fit, quid agitur, sodalis carissime? Iam diu nihil accepi a te scriptum. Acceperistine iam Epistolam Leoninam 272? Multa insunt, fortasse nonnulla sapient palato tuo eruditissimo. Utinam saltem aliquatenus reconvalueris! Sive melius sive peius te habes: et gaudio et solacio tibi sit epistoliis Latinis animum effundere amico. Iam aliquoties scripsi Circulo Toruniano: sed neque epistolium distributum est neque accepi responsum. Scisne, quomodo hoc fiat? *Suspicio illum Eduardum curare, ne epistolia mea legi possint a sodalibus.* Eidem toties iam misi Epistulas Leoninas. Numquam rescripsit, ne verbum quidem. Qui videtur mihi unus ex illis esse, qui nolint in eodem sterquilinio cantare gallos duos. Estne ita? An nimium suspiciosus sum? Scribas mihi quaecumque tibi in buccam venerint. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus"*

Confiteri debeo me hoc omnino non intellegere. Verum est me Nicolai scripta iam dudum legisse sed prorsus nesciebam eum mihi soli textus eius misisse (annexos nuntio nihil aliud continente).

Antea fila formatu .pdf ex hoc situ depromere solebam: <http://ephemeris.alcuinus.net/> olim; nunc <https://ephemerisnuntii.eu/>

Anno 2022 Nicolaus nomen dedit gregi et interim semel tantum* nobis epistolium misit, nisi fallor. Ipse sexies septiesve Nicolai inceptum laudavi et apud GLL et in usenet (alt.language.latin). Profecto memini me suasisse ut pretium annuale statueremus pro ascitu in grege. Proposui ut exemplaria fabulae romanae *_Fragrantia_* a Nicolao praestinaremus pro bibliothecis. Non rescripsi igitur quia putabam omnes sodales eandem invitationem privatim accepisse. Sed sine(te) obiter dicam hic locorum omnibus (quantum scio) licet Epistulas Leoninas depromere: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php> valete

* e situ Toruni comperi sequentia: spqr@leolatinus.de Leo Latinus standard (direct reception)

subscribed 18 Feb 2022 18 Feb 2022 Infeliciter autem interim aliquis (aut Agricola aut Nicolaus ipse id unicum epistolium delevit. Certe ego non delevi neque aliis possibile est tale facere.)

d.22. m.Apr. a.2023 h.22.17

Nicolaus Eduardo moderatori Gregis Toruniani sal.pl.dic.

Summas gratias, Domine maxime honorabilis, quod nunc me Epistulasque meas Leoninas commemoras. Numquam acceperam te incepta mea laudavisse. Sed laudo etiam tua incepta omni qua par est observantia. Nos ambo cum simus operarii in vindemia Latinitatis, oportet pacifice cooperemur. Materia est amplior, quam ut unus alteri aliquid auferat. De pretio annuali cooptationis nihil umquam legeram. - Ubi scriptum est? Equidem Epistulas meas Leoninas, quas magno cum labore exarare soleo, semper mitto gratis et sine ulla obligatione. Vale pancratice, Domine Eduarde, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Groß Leo Latinus.**

d.23. m.Apr. a.2023 h.00.32

Eduardus Nicolao privatim respondet:

Gratias tibi ago pro rescripto prompte et amicaliter dato. Cur non omnibus misisti? Utique interim quaesivi illud 'unicum' epistolium tuum in archivio sed videor perperam meminisse. Verisimilius ad GLL accessisti ut legeres, non scriberes. Me iudice licet omnibus se ita gerere sed non Victorio et Herberto qui nescio quemadmodum cupiunt omnes ad scribendum coercere. De te et versionibus tuis iam dudum gregalibus memoravi. Mentio de versione Sueskindi est apud <https://www.man.torun.pl/archives/arc/grex/2019-10/msg00021.html> (2019-10-09)

Hic citabo ut facilius legatur: [de _Fragrantia_ ima pagina]

"Eduardus Victorio, Herberto, Thomae, Brenno, et scripturientibus, sal.: ...p.s. 3 Duo incepta quibus operae pretium est pecuniam expendere (a sodalibus collectam): 1. Curare ut cippus faciat sepulchro Arcadii Avellani quod eiusmodi eguit iam inde ex 84 annis: https://la.wikipedia.org/wiki/Arcadius_Avellanus 2. Exemplaria emere Nicolai Gross versionis Patricii Süskind fabulae romanicae _Fragrantia_ quae bibliothecis universitariis donari possent: <http://www.leolatinus.de/> (Ima pagina est nexus ad filum (illi Gross archia) pdf, specimen e textu fabulae, quod gratis legi potest: Leseprobe <http://www.leolatinus.de/Textproben/TextprobeFragrantia.pdf> "cura ut valeas..... Sed quid sibi vult adverbium 'Taurice' a quodam nuper adhibitum?

RADULFUS ARGENTINUS BONAEROPOLITANUS

d.19. m.Apr. a.2023 h.16:36

Radulfus Leoni Latino s.

Carissime Leo Latine, Magno propectu legi tuam epistolam de Paschate. Ut scis, valde mihi placent versus: impense igitur fabula poetica de cuniculo fruitus sum. Semper me multa doces. Exempli gratia, ignorabam quomodo quod hispanice "escopeta" dicimus diceretur latine. Eruditissimam sed amoenam epistolam paschalem paravisti. **Gratias plurimas, Radulfus**

d.19 m.Apr. a.2023 h.14:39

Leo Latinus Radulfo suo Bonaeropolitano sal.pl.

Gratias plurimas, care Radulfe, pro epistolio tuo. Grato animo accipio te symbolas meas paschales et leporarias attente perlegisse. Vocabulo hispanico, q.e. "escopeta", subesse videtur "sclopetum". Ceterum "sclopetum" non est vocabulum antiquae Latinitatis, sed saeculo 14. confictum est e verbo antiquo, quod est "stloppus" sive "scloppus" (PERSIUS 5,13); hoc significat sonum, qui auditur si quis **buccas suas inflatas manibus planis complodit**. En lege interpretamentum lexicis Ducangiani s.v. sclopetum: "A sono quem edit '*sclopus*' **non dissimilem a strepitu qui fit complosis buccis**, quique **scloppus** dicitur, vocis origo deducenda videtur Carolo de Aquino."

Haec hactenus de sclopeto, mox, si volueris, libenter plura. Iamne EL 274 inspexisti? Heri tibi misi. Vale semper, **LEO LATINUS**.

d.21. m.Apr. a.2023 h.02:00

Radulfus Leoni Latino s.

Care Leo Latine, ut dicere soleo, semper multa me doces. Novam epistolam tuam recepi libenterque legere incipiam. De "escopeta", diffuse memoro me ipsum vocabulo "tubulo" usum esse, ad quoddam telum igneum designandum. Gaudeo "inventione" Latina, ut ita dicam, vosque omnes, magnos hodiernos latinistas miror, quia res hodiernas Latiali lingua eleganter redditis. Vale, **Radulfus**

d.21. m.Apr. a.2023 h.17.35

Leo Latinus Radulfo suo Bonaeropolitano s.

Cicero nobis affirmat novis rebus nova nomina esse imponenda. Est quidem tubulus in sclopeto (qui dicitur "fistula"), sed hoc instrumentum habet etiam multas alias partes et permulti tubuli sunt in mundo varii generis. Oportet eadem subtilitate nomina distinguere qua distinguimus notiones denominandas. Itaque Carolus Linneus Suetus nomenclator plantarum atque bestiarum illustrissimus docet nos: "Nomina si pereunt, perit etiam cognitio rerum". - Nomen tubuli omnino non sufficit ad sclopetum denominandum. Sunt quidem nonnulli Latine loquentes, qui stricte negent nova verba esse fingenda (talibus est Aloisius Miraglia, director Vivarii Novi, ceterum optime de lingua Latina colenda meritis). Sed si nobis Latine scribentibus et loquentibus nova nomina desunt, de nullis rebus nisi antiquis possumus loqui (circuitiones verborum longitudine sua molesta non

semper nos adiuvant et faciunt sermonem nostrum foedum et scaevum). Mihi quidem sermo tam egenus non sufficit. Velim adhibere Latinitatem vere vivam, i.e., velim de omnibus rebus Latine loqui, de concretis et abstractis, quae mihi apparent in mundo moderno. Hoc sensu ego sum Latinista atque Latinophilus radicalis: si quae res de qua loqui volo, habet iam nomen Latinum, eodem utor; si adhuc Latini nominis expers est, confingo nomen secundum normas verba Latina confingendi antiquas necnon adhibitis exemplis romanis et neograecis. Galileus dixit: Omnia mensuremus quae sunt mensurabilia; omnia mensurabilia facimus, quae nondum sunt mensurabilia. Equidem dico: *Omnia latinizo quae sunt latinizabilia; omnia facio latinizabilia, quae nondum sunt.* Poteritne fieri, care Radulfe, ut particeps fias acroasis meae interretialis? (die 29. m. Apr., quinta hora postmeridiana? Infra vide, mi care sodalis, quae nobis indicavit Nico de Mico secretarius Academiae Latinitati Fovendae. Haec hactenus, mox certe plura. Vale semper. **Medullitus, Leo Latinus**

d.22. m. Apr. a.2023 h.18:20

Radulfus Leoni Latino s.

Amice doctissimeque Leo Latine, acroasin tum non audire videreque potero, quia Urbe mea abero illa die. Gratias ob tuam responsionem. Igorabam quid sentiret Dr. Miraglia de novis verbis latinis confingendis. Arbitror tuam sententiam de isto subiecto multum ponderis habere. **Tuus Radulfus**

d.22. m. Apr. h.17:20

Leo Latinus Radulfo suo sal.pl.

O valde doleo, quod acroasin meam audire non potes. Nonne etiam extra urbem Bonaeropolitanam fieri poterit, ut computatro tuo (aut sophophono = smartphone) particeps fias? Vale semper, **Leo Latinus**

d.22. m. Apr. a.2023 h.23:49

Radulfus Leoni Latino s.

Care Nicolae, telephonio respondebam antea. Nunc computatro. Rusticationem cum uxorem agam et forsitan non sit mihi tempus... neque Rete. De alia re, quoad nova verba Latina hodierna, mihi placet innovare, ut ita dicam. Exempli gratia, Tutubus (YouTube), Quidest (WhatsApp), suntque alia quae non memini. Attamen iocus mihi est, sine intentione academica; ignosce igitur meis iocationibus. Nunc Instagramma memini. Deus Risus stulto modo a me colitur. Vale semper, **Radulfus**

d.22. m. Apr. a.2023 h.23:52

Nicolaus Radulfo suo sal.

Nostrates dicunt risum esse salubrem. Ergo ne desistas a ridendo, care amice. Vae semper, **Nicolaus Leo Latinus.**

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

d.19. m. Apr. a.2023 h.16:35

LEO LATINUS URBANO SUO S. s.v.b.e.e.v.

Ecce SIGNUM "REUNIONIS INTRANDAE", quod indicavit NicoDe Mico secretarius Academiae Latinitati Fovendae. Scribe mihi, si acceperis. Accepistine EL 274? Quam misi tibi heri. Vale semper, **LEO LATINUS**

d.21. m.Apr. a.2023 h.13:26

Urbanus Nicolao salutem. S.B.V.B.E.E.V.

Accepi signum reunionis intrandæ. Etiam comperi nos omnes conventuros esse hora 12 Brasiliopolitana, quæ est eadem 17 Berolinensis et Romana. - Epistula Leonina 274 pervenit ad me. Homiliam quam commendasti, attente diligenterque legam. Postea dicam, quid mihi visum erit. - Dedi, Veneris die, XI Calendas Maias, anno MMXXIII, quo die Brasiliopolis, pariter ac Roma, anniversarium celebrat urbis conditæ. **Urbanus**

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.19. m.Apr. a.2023 h.10:31

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Maxima laetitia me affecisti, quod meam relatiunculam, quam de ambulationibus Augustanis dedi, per tuam Epistulam Leoninam 274 emisisti in publicum et quod per Epistulam Leoninam 274 ad conventiculum nostrum die Veneris participandum vocavisti. Benigne! Multum amo te ob istas res et te die Veneris adfuturum spero. Utramque rem nunc etiam in situ interretiali meo indico: **maximilianus-schoen.jimdosite.com** Propediem te videbo (ut spero). **Vale!**

d.19. m.Apr. a.2023 h.13.18

Nicolaus Maximiliano sal.pl.

Laetor, quod laetaris de relatiunculæ tuæ publicatione de praeconio conventiculi vestri. Sed doleo me huius conventiculi **non** participem fieri posse. Hoc tibi iam scripsi: Quod dilatatum non est ablatum. Vale pancratice, mi care mystagoge, et perge mihi favere. Utinam conventiculum vobis succedat felicissime! Omnes Latinitatis amicas amicosque medullitus salvere iubeo. **Nicolaus Leo Latinus**

d.19. m.Apr. a.2023 h.23.13

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Te venire non posse non videram. Nonnullae epistulae electronicae, quas mittimus, haesitare videntur. Salvos ex te dicam omnes Latinistas, qui venient. Fortasse melius et prudentius facis quam ego, qui ad conventum accedere intendam. Nam operarii ferriviae operistitium minitantur. **Vale multum!**

d.23. m.Apr. a.2023 h.01.12

Nicolaus Maximiliano Pulchro suo Mystagogo Augustano sal.pl.dic.

Spero Monacense colloquium vestrum subcolumnarem feliciter factum esse. Nonne vis scribere relatiunculam? Quam mox divulgabo. Ceterum te invito, ut proximo die Saturni (d.29. m.Apr., 17h) audias acroasin meam de Orbe Picto Hexaglotto. Vide ea quae indicavit Nico de Mico secretarius Academiae Latinitati Fovendae (ALF). Ceterum scribas relatiunculam subcolumnarem et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

GISELA HIELSCHER

d.18. m.Apr. a.2023 h.23:17

Gisela Novesiana Leoni Latino sal. pl. dic.

Grata mihi venit Epistula Leoninae grataeque mihi venient epistulae futurae. Gratias vobis ago plurimas et vos valere iubeo!

d.18. m.Apr. a.2023 h.23:20

Leo Latinus Giselaë Hielscher sal.pl.dic.

Nuntium tuum accepi animo elato. Semper gaudet Leo, si Epistulae suae placent lectoribus lectoribusque. Libenter tibi etiam mittam Epistulas Leoninas futuras. Pancratice vale, cara Gisela, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **LEO LATINUS**

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mandataelae | ISBN | TITULUS | AUCTOR | TRANSLATOR | ANNUS | FORMA | AMPLITUDO | PRE-TIUM |
|----|------------------|-------------------|---|----------------------------|----------------|-------|---------------|-----------|----------|
| 1 | 00104 | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 2 | 00104A | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 21 min. | € 22,90 |
| 3 | 00204 | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 33 pp. | € 27,50 |
| 4 | 00304 | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 6 pp. | € 17,90 |
| 5 | 00304A | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | Audio | 6 min. | € 20,90 |
| 6 | 00404 | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 7 | 00404A | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibiles | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 20 min. | € 21,90 |
| 8 | 00504 | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 14 pp. | € 19,50 |
| 9 | 00604 | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 16 pp. | € 19,00 |
| 10 | 00704 | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS | Diogenes Anaedoeus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 11 pp. | € 19,50 |
| 11 | 00804 | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI | Diogenes Anaedoeus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 12 | 00904 | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAE | Bertolt Brecht | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 21 pp. | € 22,00 |
| 13 | 01004 | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN | Henricus van den Lande de | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,50 |


| | | | | Raelt | | | | | |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|------------|---------|---------|
| 14 | 01104 | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM | 21 pp. | € 22,00 |
| 15 | 01204 | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIANAE 1 | Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 16 | 00105 | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS | Friedrich Dürrenmatt | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp. | € 31,90 |
| 17 | 00205 | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE | Gerhart Hauptmann | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 18 | 00305 | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1) | Christoph Martin Wieland | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp. | € 19,50 |
| 19 | 00405 | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT | Johann Wolfgang von Goethe | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp. | € 38,90 |
| 20 | 0050 5A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 0060 5A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 0070 5A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles | C.I. Caesar | ----- | 2005 | Audio | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106 | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE | Nikolaus Gross | ----- | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp. | € 48,00 |
| 24 | 00206 | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM | Karl Friedrich Kilmeyer | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp. | € 38,00 |
| 25 | 0030 6A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles | C.I. Caesar | ----- | 2006 | Audio | 61 min. | € 22,90 |

| | | | | | | | | | |
|----|------------|---------------------------|---|------------------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 26 | 0040 6A | 978-3- 938905- 25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 — — Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2006 | Audio | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 0050 6A | 978-3- 938905- 26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles | L.A. Seneca | ----- | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |
| 28 | 00107 A | 978-3- 938905-27- 2 | ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS | Apuleius | ----- -- | 2007 | Audio | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 0020 7A | 978-3- 938905-28- 9 | OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA | Livius | ----- | 2007 | Audio | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | 00307 | 978-3- 938905-29- 6 | FABELLAE GRIMMIANAE II | Jacob Grimm/ Wihelm Grimm | Nikolaus Gross | 2007 | CD- ROM pdf | 58 pp. | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**


**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUARTAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Dominicâ, 23. m.Apr. a.MMXXII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**